



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De exemplis eremitarum. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45790)

*De renuntiatione seculi.*

**M**Onache ad quid venisti?  
Quare mundum reliquisti?  
Cur cappam istam induisti?  
Et pompam mundi despexisti?  
Nonne ut Deo seruires, & cor tuum custodires?  
Cur ergo sic vagaris, & vana meditaris?  
Multum peccas euagando, tempus perdis otiendo.

CAPVT II.

*De remedio vitiorum.*

**A**prehende arma & scutum;  
Euagari non est tutum;  
Otiari grande vitium.  
Fabulando perdis præmium.  
Operando vince tedium:  
Orando quære remedium.

CAPVT III.

*De exemplis eremitarum.*

**M**ane ergo in cœnobio:  
Vive castè sine proprio:  
Fuge, tace cum Arsenio.  
Sede solus cum Machario:  
Sæpe ora cum Antonio,  
Labora cum Pachomio:  
Ieiuna cum Euagrio:  
Vigila cum Hilario.

CAPVT IV.

*De patientia martyrum.*

**S**Vstine dolores cum Lauréto:  
Despice honores cū Vincentio:  
Dilige Iesum cum Ignatio:  
Fer damna rerum cum Eustacio:  
Confitere Christum cum Tyburrio:  
Resiste draconi cum Georgio:  
Coronaberis cum martyribus,  
Si resistis malignis instinctibus.

CAPVT V.

*De studio doctorum.*

**E**ge, scribe cū Hieronymo,  
Viro sancto & doctissimo.  
Canta hymnos cum Ambroſio,  
Pſalmos Dauid cum psalterio.